INCIPIT OPVSCVLVM HERIMANNI DIVERSO METRO CONPOSITVM AD AMICVLAS SVAS QVASDAM SANCTIMONIALES FEMINAS.

HERIMANNVS AD MVSAM[a]

Musa mi dilecta, surge, dulce quiddam concine,
carmen, oro, pange metro seu canore rithmico,
mulce et odis, queso, caras, cara, mis sororculas.

MVSA AD HERIMANNVM[b]

Mene uocari
auribus hausi?
anne et amicum
mis Herimannum?
en tua certe,
frater amate,
Melpomene assum.
carmina possum,
raucida quamuis
uoce loquar uix.
dic modo, quae uis
psallier ollis.

HERIMANNVS AD MVSAM[c]

Certe nescio, cara
et mi maxima cura,
quid cantarier illae
affectent dominellae.
noui ludicra crebro,
malunt seria raro.
ipsas tu magis, ipsa
pergens, consule, musa,
et quod conplacet illis,
pangas suauibus odis.

[a] Metrum trochaicum archiloicum, constans ex VII pedibus et sillaba; locis inparibus recipit trocheum uel spondeum.

[b] Metrum adonium constans ex dactilo et spondeo.

[c] Metrum feregratium constans ex spondeo dactilo et spondeo.

MVSA AD SORORES[d]

Vos, o contio candida
ac formosa cateruula,
noster misit amiculus
communis Herimannulus
me promptam sibi psaltriam,
quamuis pessime raucidam,
uobis gliceriis suis
selectisque sororculis
quaedam carmina pangere,
sed uos qualia dicite.
nam uos quaeque libentius
auditis, cano promptius:
uultis, concino seria,
sin, cantrix ero ludia.

SORORES AD MVSAM[e]

Nosterne noster ille medullitus
nobis inustus liup Herimannulus,
amandus ille saecla per omnia
transmisit, o, te, pulchra puellula?
formosa namque es bellaque psaltria
illique certe digna iuuencula,
sed ipsa nobis heu tamen hactenus
ignota. primo dic age, quesumus,
tecum quid illi forte negotii:
uultus uenustas terret enim tui.
tu forsan eius conscia lectuli
complexa dulcis munia sauii
furare, noctis ausa silentia
nobis negata sumere gaudia.
fors ille uitro corpore purior
putatus, ille turture castior
fideliorque perfidus à sua
tecum, o puella, conteret otia.

[d] Metrum gliconicum constans ex spondeo choriambo et pirrichio.
[e] Metrum alchaicum constans ex pentimemere iambica et duobus dactilis.

MVSA AD SORORES[f]

Atqui credideram me fore notam
uobis, sed tibimet, Engila, memet
ignotam poteram credere numquam,
nam fert fama loco te fore primo
hic inter iuuenes, uirgo, sorores.
sed quia nesciri me modo noui
et uosmet cunctas suspiciosas
esse mihi uideo et Herimanno
nostro, perstrictim praedico quae sim.
sum ter ternarum una sororum,
quas fert dulcicanas fama camenas,
natas esse Iouis celsitonantis,
ex Iunone satas, psallere doctas.
idolatrae fatui numina uulgi
olim falsiloquis grata poetis,
nunc iam christicolae noscimur esse
suadentesque uiam pergere rectam
castos diligimus, sancta docemus,
mentis cultores semper amantes,
interdumque iocos quimus honestos
pangere, si petimur; turpe ueremur
ludere, ni fidus poscat amicus,
hoc qui celare norit honeste,
non ad lasciuum intima uerbum
mentis subdendo, iudice Christo
caelitus attente cuncta uidente.
sed quod uos talem suspitionem
in me unâ et nostrum fertis amicum
fingitis et turpem nosmet amorem
noctu furari, nocte foueri
dulcibus illecebris quodque putatis
uobis haud fidum gaudia mecum
illum partiri foedere suaui,
donamus ueniam. conscia forsan
culpa reos stimulat, insuper attat
ille uicem uobis reddet in istis.

[f] Metrum constans ex pentimemere heroica ex dactilo et spondeo.

nam non dissimilem suspitionem
in uos forte tenet, nec satis audet
talibus in furtis fidere uobis,
et tamen interne uos scit amare
nec quia diffidit uos simul odit.
optat enim castas riteque mundas
uos casto et mundo uiuere sponso
regalique thoro corpore puro
dignas felicem cernere lucem
reginas superae caelitus aulae.
sed quoniam nouit saepeque legit [1])
mentem femineam mobile quoddam,
anceps, fluctiuagum, flabile monstrum,
suspectus metuit perque timescit,
ne uos, postposito lumine tanto
tamque beatificis oppido taedis,
spurcida queratis gaudia noctis
et, spreto summi principe caeli,
pulchro immortali rege perenni,
suspiretis atrum, puluerulentum,
foedum, putre solum, mortis alumnum,
uermem, post modicum uermibus esum,
seruum infernalis doemonis hostis
obsceno indigne crimine amare,
talis ut in mundo spurca libido
uos coitu sponsas deliciosas
et nitidas regis cunctitenentis
uosque dei templum rite dicatum
polluat, inficiat ac male perdat,
quod pudet et fari, stercore tali
sicque ferus, toruus, dirus, amarus,
auceps ille ferox, furcifer, atrox,
persuasor sceleris, pessimus hostis
hic prius irrisas hicque reiectas,
iure profanatas, iure sputatas
una cum flente uosmet amante
flentes perpetuo in tenebroso

98. diffidet *cod.* 1) *Verg. Aen.* IV, 569.

Tartareo fundo, sulphure furuo
torqueat infande omne per aeuum
tales tunc poenas soluere dignas,
quae regem regum tempnere sponsum
et simul aeterni gaudia regni
istic eligitis, plus et amatis
cum probro turpi gaudia mundi
foeda uoluptatum fumigenarum.
haec uobis metuit, quisquis amabit
uos, uere uobis fidus amatis.
haec timet et certus uester amicus,
qui memet musam misit amicam.
haec egomet metuo, quae inuiolato
foedere abhinc statui uosmet amare,
nam meus ille suas uos scit amicas.
et quia perplures heu mulieres,
pro pudor, in tali crimine labi
attractasque fero doemonis unco
captiuas uitii fune teneri
nouimus, ingemimus atque dolemus,
non quimus paucis fidere uobis,
quin et uos furuus aucupis hamus
iam captas teneat siue capiscat,
perpellens spurco nubere homullo,
despecto Christo, rege supremo,
ducturas merito tempore in isto
uitam sollicitam ac miserandam,
foedam, probrosam, suspiciosam,
plenam dedecoris labe doloris,
fletus, meroris, anxietatis,
nique dato spatio tempore in ipso,
quod dubium est, large nocte dieque
flagitii maculam tergere tantam
fletibus instetis et satagetis,
ex hinc dilutam ducere uitam
pure fructifice praenitideque,
post mortem carnis, quam maculastis,
tradendas diri dentibus Orci
sero gemescentes, sero probantes,

quid sit digna pati mecha, quid illi
igne gehennali fauce baratri
assit et omnigenum crebro malorum,
ausa est quae dominum spernere sponsum
seque in adulterium mergere tantum.
sed quo diuerti? quoue cucurri,
musa procax studii? non ego ueni
uobis tanta loqui carmine tali,
sed uos alternis suauiter odis
mulcere et gratis gutture neumis
oreque formatis pangere uobis
quiddam, quod gracili uoceque dulci
post hinc cantatum seu reboatum
uos memores uestri reddat amici.
quod fieri, carae mis dominellae,
si uultis, mihi iam dicite, quidnam
malitis, melo me modulando
psallere laetisono. namque morando
dum loquimur, propera labitur hora.

SORORES AD MVSAM[g]

Veneranda tu puella,
cata, docta, pulchra, bella,
soror alma, casta, cara,
Herimanni amica certa,
nimis arguis misellas,
nihilum tacendo, nonnas
neque parcis ipsa amatis,
ueluti fatere nobis,
Heriman ut ipse durus
uideatur haec locutus.
solet ipse nempe tali
monitu suis iocari
uelut et iocans acerbo
uitium notare morsu.
misera ó amica nostri,
rea quae putat notari
sua conticenda furta,

[g] Metrum constans ex pirrichio et tribus trocheis.
196. uobis c. 203. uestri c.

tua cum iocantur orsa.
etenim libenter ista
capit aure turma nostra,
quia, quisquis odit acri
uitiosa dente carpi,
etiam tacendo prodit,
uitii quid intus assit.
age qua, camena, propter
auide audienda semper
cane, poscimus, canore
lepido, precamur, ore.
melius sed ipsa nosti,
quid oporteat sonari,
quid et adiuuet canentem,
mage plus uel audientem.
ideo tibi quod ipsi
placeat bonum scienti,
cane cara, clange, canta,
cupide audiemus, eia.
potius uel ad rogandum
remees adhuc amicum,
quid ei magis canendum
uideatur aut docendum.
quod enim fidelis ipse
tibi suggeret benigne,
positis iocis libenter
capiemus aure semper.

MVSA AD HERIMANNVM[h]

Tuae rogant sorores
te care diligentes,
quo tu canenda dictes
mihi et docenda mandes.
amant enim remissis,
ut asserunt, iocosis
audire quicquid ollis

217. nostri *c.*

[h] Metrum iambicum dimetrum*) anacreontium catalecticum constans ex tribus pedibus et sillaba; locis imparibus recipit iambum uel spondeum uel anapestum, paribus uero iambum.

*) diametrum *c.*

plus approbando mittis.
nunc tu tibi placentem
sententiae tenorem
des, ipsa quem canendo
queam iugare rithmo.

HERIMANNVS AD MVSAM[i]

Prius, o mihi grata camena,
uolo, dicas, quae tibi tanta
fuit illic causa morandi
tardeque ad me redeundi,
si nondum, ut forte putaui,
quae mandaram cecinisti,
demum nunc atque reuersa
hic percunctare canenda.

MVSA AD HERIMANNVM[k]

Haec quid, queso, petis? quid ista queris?
cum me dirigeres ad has sorores
perlaetas hilarem tui sodalem,
lusi certe mihi simulque risi,
par ipsis retuli, iocis rependi
ludens ipsa uicem. quis ad iocantem
perstaret stupidus nihil locutus?
cum me teque suum iocose amicum
culpantes lepide forent adorsae,
nosmet dulcia confouere furta
fingentes, precium referre dignum
ludis mox statui statimque coepi
fari, nos quod et has tenere cunctas
suspectas agimur, quod et ueremur
illis spurcidulum, malum, profanum
furtum, quod miseras necat puellas
subtractasque deo pio, supremo
sponso, illas zabulo dat execrando.
ridens et licet has darem loquelas,
nil parcens uitium tamen nefandum

[i] Metrum anapesticum constans ex tribus anapestis et sillaba siue ex posteriori parte heroici uersus. [k] Metrum falleutium endecasillabum constans ex spondeo dactilo et tribus trocheis. 256. certe lusi c.

carpsi dura merum profando uerum.
nil ledens nitidas, pias, pudicas,
mordebam luteas, lupas, petulcas.
nostras non tetigi sciensue laesi,
ni se forte reae, quod absit, ipsae
tactas dente sciant uel indolescant.

HERIMANNVS AD MVSAM[l]

Attat quam uereor, Melpomene soror,
ne tu candidulas, musa, sororculas,
certas, suauiloquas semper amiculas,
uerum fando nimis garrula feceris
infensas, stupidas, turbidulas, feras
nobis, quae potius suaue sonantibus
odis debueras firmius has meas
sinceras socias efficere ac tuas.
demens nescieras, quod mera ueritas
gignat sepe odium? quis, rogo, rancidum
mordaci satyra te mihi dulcia
persuasit memora radere pectora?
o cur dulciculas á nimis asperas,
ut fingo et uereor, reddideras, soror?
post hinc noster amor transiit, ei soror.
me quid te libuit mittere? quid fuit,
a quid, queso, fuit, quod mea compulit
uota, ut te cuperem mittere? te canem,
quae mordax acidis dentibus et feris
ledens tot socias, quas adamantinas
dudum credideram forsque putaueram,
iratas faceres et mihi perderes
illarum solitum mentis amorculum.

MVSA AD HERIMANNVM[m]

Ludis insanisne, quid ista dicis?
quodque ne ueris stupidus uereris
fatibus dulces tibimet sorores

275. pedulcas c.

[l] Metrum asclepiadeum constans ex spondeo et duobus choriambis et pirrichio. [m] Metrum saphicum endecasillabum constans ex trocheo spondeo dactilo et duobus trocheis.

fecerim infensas? et ob hoc in istas
proruis stultas timidus querelas?
meque culpari meritam putasti?
nonne tu multo magis haec timendo
arguis culpae nitidas nefande?
et tuas culpas nimis ipse amicas,
cum tibi pro his inimica fingis
pectora illarum? sine, queso, tantum
dedecus nostris reputare caris.
num putas illas ita subiugatas,
pro nefas, turpi fore foeditati,
ut furens, á fas, petulans uoluptas
obruat tantis animos tenebris,
cogat ut caras socias amicas,
probra cunctorum merito obloquentum,
uerba terrentum, flagra iudicantum,
uentris instantem grauidi dolorem,
anxium partum simul et pudendum,
imminens magnum necis ac periclum,
curam et effusi pueri occulendi,
perpetes dirae gemitus gehennae
omnibus poenis et ad haec hiantis,
doemonum risum, Satanae cachinnum
ista suadentis, cruciantis ista,
atque postremo dominantem ab alto
cuncta cernentem, truciter minantem
caelitem sponsum dominumque Christum
eius aeterni preciumque regni,
angelos omnes superosque ciues
triste merentes facinus uidentes
spernere et mecho subici nefasto
foetido, spurco, tragico Priapo
turpe rudenti uel adhinnienti,
eius infando fera cum libido
more se inflammat simul et catillat,
quas subans pulcras capiat puellas
irruat, pungat misereque perdat?

318. caros socios amicos *c*. 327. doemonium *c*. 336. spurcido *c*. 339. imflammat *c*. 341. purgat *c*. pungat *Wattenbach*.

absit hoc, absit, procul absit, absit,
ut tuis caris sociabus istis
ingeras tantum facinus nefandum,
quatinus fingas tibi et extimescas
hoc ob offensas uel amaricatas,
quod nefas tantum merito execrandum
persequor ueris nimium loquelis.
namque si dulces suimet sodales
ista dicentes odiunt, fatentes
conscias certe maculas aperte
proferunt ipsae. precor unde, parce,
parce, ne pro his ita suspiceris
corda prolatis inimica nobis
sint quod illarum, potius piarum.
crede tu menti bona diligenti,
quod nimis ueras adament loquelas,
diligant omnes pia commonentes,
quin magis per se lacerent sputentque
omne non castum, petulans, pudendum.
nonne colludens pariterque ridens
sepe, quae dico, satis haec probando
ipse tu nosti? uitiumne acri
crebro mordacique ioco notasti?
et tamen castis, puto, non ab ipsis
flebis abiectus, magis immo amatus
ipse sinceris remanes amicis
iunctus unito et amore certo
usque dilectus et abhinc amandus.
unde dimissis fatuis querelis,
ede quam primum mihi quid canendum
censeas. ipsae, puto, sicut aure
memet expectant auida uel optant,
ut canam quiddam redeundo iamiam.

HERIMANNVS AD MVSAM[n]

Vincis ueris, musa, loquelis,
fateor, uincis, sed tamen ipsis

[n] Metrum constans ex IIII pedibus recipit spondeum locis omnibus, anapestum locis omnibus, dactilum quoque locis omnibus.

ueris mordax plus nimis instas.
nescio quicquam, quod tibi dicam.
uideas tantum, ne mihi carum
agmen amandum semper in aeuum
aspera linguae uerbere saeuae
ledere queras et mihi perdas.
nunc quia carae memet amicae
ipsaque tute uultis promere,
quid reboandum quidue docendum
ipsis dictem, ne modo peccem
iudex lectus, pro sed ineptus,
utile canta, casta camena,
ludicra respue, seria prome,
concine uani noxia mundi
gaudia, nugas, plures naenias,
pestes, mortes, mille labores.
dic aeterni maxima regni
gaudia, tantam lauda gloriam,
suade talem carpere callem,
qui nos gaudia ducat ad ista.
moneas cunctum spernere prauum,
uiuere sancte, degere recte,
munde, pure, iuste, caste.
haec et talia reboes, musa,
haec, ut possis, concine nostris.
his et dulces, cara, sorores
mulce ludens, noxia temnens.
ipse benignus spiritus almus,
quo sine nullum promere uerbum
utile quimus, tete caelitus
instruat et te digna referre
doceat dignis congrue uerbis.
iamque ualeto atque studeto,
ut petii te, iam pede ire
omnia, sodes, iam neque tardes.

MVSA AD HERIMANNVM°

Ardua, frater amate, mihi

° Metrum alemannium trimetrum dactilicum ypercatalecticum constans ex eptimemere dactilica id est tribus dactilis et sillaba.

carmina praecipis indocili,
quae neque mente iugare scio,
promere nec ualeo eloquio,
raucidula neque uoce queo
pangere tanta labore meo,
ni pius ille fauore suo,
quem rogitas, mea continuo
spiritus adiuuet et doceat
coepta benignus et instituat.
qui dedit ipsa loqui, ut uoluit,
bruta animalia, cum uoluit.
sed quia me scio sordidulam,
omnimodis uitiisque ream,
et mihi, care, nimis uereor,
ne sacer ille, uelut mereor,
me fugiat procul et renuat
despiciensque nihil doceat
sicque relicta canendo cadam
et male languida deficiam.
unde nimis timeo incipere,
quae stolida haud queo perficere,
quae scio uincere posse meum
perfragile et tenue ingenium.
sed quoniam cupere ista tuum
pangere me uideo arbitrium,
constat et utiliora tuis
haec fore talia dulciculis,
spe retinens merito absque meo,
pneumatis ut iuuer auxilio,
qui pius assolet assidue
coepta iuuare benigna pie,
aggrediar trepidante licet
mente tibi quod, amice, placet.
promptula iamque tui studeo
iussa capessere prout potero.
tu modo, queso, precando pete
pneuma sacrum fragili annuere,

441. Pnematis *c*.

ne nimium male et lutee,
quae reboare iubes temere
perficiam. simul atque uale,
currere iam propero et canere.

MVSA AD SORORES[p]

Salue, cara mihi contio, quam cordetenus colo.
ad te musa tui iam redeo concita amiculi
cantatura tibi carmina, quae iusserat is mihi,
qui te mire colit, diligit, amplectitur ac fouet,
qui non ficte tuum semper honorem cupit intimum.
attentis, precor, haec auribus et mentibus accipe
et percepta tuo firmius haec credito corculo,
ut post hinc memorem te Herimanni crebrius tui
reddant siue salutis potius perpetuae tuae.
et me si inlepido ore canam uoceue raucida,
non mox despicias ridiculo me neque despuas,
noris sed potius, si melius possem et honestius
essem docta, tibi concinerem multo libentius.
sed nunc qualiacumque haec mea grate, rogo, suscipe,
discens atque tene sicque mihi succine. eia age.

SORORES AD MVSAM[q]

Soror eia
cane, canta,
tibi quicquid
pie iussit
Herimannus
tuus, immo
mage noster
philadelfos.
inhiantes
etenim aures
auidumque et
cupiens cor,
cata tu ca-
staque cantrix,
tibi cunctae
bona certe
moniturae
sicientes
adhibemus.
cane tantum
neque nosmet
teneas iam.
soror eia,
cane, canta.

MVSAE CARMEN EXORTATORIVM AD SORORES
DE CONTEMPTV MVNDI[r]

O sociae dulces mihi dilectaeque sorores

450. male turpiter et lutee c. [p] Metrum coriambicosaphicum constans ex spondeo et tribus coriambis et pirrichio. [q] Metrum constans ex ionico minore. [r] Metrum elegicum.*)

*) eleaicum c.

spernite mundanae gaudia uana uiae.
Magno mari perparuula[a]
inest uelut pars guttula
annisque mille percitum
confertur hoc momentulum,
sed sempiterno uiuere,
laetum sit an plorabile,
haec uita, quae nos hic tenet,
nec comparari praeualet.
haec quippe uelox transiet,
illud perenne permanet
ultraque summam plurimis
fini haud propinquat saeculis.
haec uero nec breuissimo
perstare quit in mutulo,
sed semper ad finem suum
festine transit ultimum.
ad terminum certae necis
horis, minutis, athomis
uelut quibusdam passibus
approximando currimus.
nolim uelimue cursito
nec stare possum ullo modo:
dum sillabam breuem loquor,
iam sum neci uicinior.
quid ista, queso, queritur?
haec quidue uita dicitur?
quam cautius qui perspicit,
nil esse pene conspicit.
quid, queso, uita dicitur,
quae mortis ad finem datur
intelligi nobis uia
euntibus breuissima?
haec si foret laetissima
et prosperis plenissima,
cui iure momentanea

[a] Metrum iambicum dimetrum acatalecticum constans ex IIII pedibus; paribus locis recipit iambum, inparibus uero iambum uel spondeum uel raro anapestum. 506. seclis c.

possent placere gaudia?
stultissimus namque ille erit,
qui guttulam dulcem cupit
gluttire, amarum ut post mare
cogatur aluo condere.

(Prosperitatem breuis uitae contempnendam)

sat stultus est et hic quoque,
in athomo qui ludere
affectat, annos ut chile
necesse ei sit plangere.
non ille erit prudentior,
sed multo certe stultior,
qui respuens perennia
caduca querit gaudia.
sed querat ardens gaudia,
affectet amens prospera,

(Mundum istum miseriis omnibus fore plenissimum)

quod estuans miser cupit,
in saeculo hoc non inuenit.
quis namque ni stultissimus,
caecus, profanus, inscius,
si saeculum hoc consideret,
hic gaudia esse existimet?
certe est amarus omnibus
hic mundus ac se amantibus
querentibusque dulcia
semper rependit aspera.
quis posset admodum sciens
et scita facunde eloquens
referre, quae mundum tenent
et semper aduersa imminent?
dolore matris nascimur,
dolore parui pascimur,
nutrimur ac tenellulam
agimus dolendo infantiam.
deflemus instanter rudes,
egri, dolentes, flebiles
pecorique consimillimi
sumus miselli et inscii.
post si futuri quid sumus,
crebro flagris gemiscimus

et quod labore discimus,
sine hoc labore amittimus.
mox ad malum promptissimi,
sed ad bonum tardissimi,
laboriose ac perperam
ducemus omnem aetatulam.
quis inter haec querat mala
memorare millefaria,
timentur istic quae omnibus
uel accidunt mortalibus?

(De aduersitate terrenis opibus accidente)

terrena lucra querimus,
sed sepe non acquirimus,
adepta uel laboribus,
per mille casus perdimus.
haec ignis, aer, haec aqua,
haec ipsa tellus perfida,
fur, belua, latro nequior
uel quis rapit potentior.
haec ingerunt insomnia,
tormenta, curas, crimina
pestemque multifariam,
demunt sed haud penuriam.
hic pauper á miser sitit,
egens et alget, esurit,
aeterna pene despicit,
caduca querens non capit.
hic ante diues oppido
luxu redundat ebrio,
sed perditis mox gazulis,
mendicat aut seruit suis.
incerta sic sunt omnia
istius aeui commoda,
pro quis modo exardescimus,
aeterna pro quis spernimus.

(De leuitate terrenae potentiae)

alius potens esse appetit
et regna celsus concupit,
ut obsequela plurium

592. et *fehlt im cod.*

superbiat satellitum.
sed culmen hoc reatibus
plerumque adeptum pluribus,
quot inuehat miserrima
mala, quae profetur ligula?
in hoc uenena, trux spata,
hostes, malorum milia,
domestici atque extranei
timentur omnes noxii.
quot sint in hoc contraria,
quot praua, quot pericula,
testantur antiquissima,
probant et haec praesentia.
hoc Cirus, hoc et Darius,
Croesus, Iugurtha, Perseus,
hoc fortis ipse Regulus,
dolosus hoc scit Marius,
hoc Nero sensit perfurens,
Valerianus ac Valens,
hoc nuper exul et Petrus,
hoc Ouo nunc scit mortuus.
quid ergo fata talium
pandunt cruenta principum,
ni quod misella et friuola
terrestris est potentia?
ast hic honores telleos (De terrenis honoribus)
captans uelut laetissimos
optat timeri et undique
ut dignior praecellere.
episcopatus appetit,
abbatias ardens cupit
uel tale quid, quo ceteris
sit ipse formidabilis.
quid est in hoc tam labili
honore et despicabili,
ni cura mordax et fera
grauisque culpae sarcina?

620. Groesus *cod.* 626. *am rande von viel jüngerer hand* Reges Vngariae post S. Stephanum. 640. Et honore *c.*

non est honor beatulus
undis male set turbidus,
promotus in quo pessimus
plus spernitur quam uel prius.

(De uanitate humanae laudis et gloriae)

amamus at plures uagam
optando mundi gloriam,
laudes caducas anxius
ardendo concupiscimus.
pro, corde quam pinguescimus,
si laus resultet auribus,
decrescit à quam mens uaga,
dum nostra carpuntur mala.
rumore dulci pascimur,
mutatur hic, irascimur.
dici boni medullitus,
aut simus aut non, querimus.
sed quid potest à turpius
dici uel esse nequius,
quam quod uideri uult bonus,
qui foetet intro pessimus?
prodest sed ó quidnam bono
si laude tollatur uiro,
quid perdit aut homullulo
culpatus a stultissimo?
hoc namque uulgus mobile
aggariens inprouide —
pro his opes dispergimus,
pro his bonis insistimus
factis malumque tempnimus,
dum probra pertimescimus —
merito absque laudat quemlibet
capitue stulte quem placet.
quis ergo testimonio
sumpto dei uerissimo
deberet hanc uanissimam
amare coenodoxiam?
licet sed hanc ardentius

644. malet *c.* male set *verm.* *Wattenbach.*

affectet atque obnixius,
a pluribus contemnitur
a plurimisque carpitur.
et sic nec hanc fumaticam,
solam quam querit, gloriam
ueram nec in caelestibus
acquirit hic spretam prius.
nam qui caducis laudibus
extollitur non prouidus,
laudes tumens interminae
perdet futuras gloriae.

(De aduersitatibus terrenam uoluptatem *) amaricantibus)

adhuc uoluptas omnibus
amatur a mortalibus.
hac absque nos miserrimi
nobis uidemur anxii.
haec nos perennis patriae
uitam facit contemnere,
habere ceu nil gaudia
nos suadet heu caelestia.
haec infimis incumbere,
haec ima cogit querere,
haec carnis huius seruulos
nos efficit spurcissimos.
haec edocet nos gaudia
amare momentanea
tantumque nos hic prospera
captare uult et dulcia.
dulcedo sed praesentium
amara quam sit omnium
quantisque mixta turbidis,
quis signet ullis literis?
nam quot malorum milia
aduersa, dura et aspera
hic imminent mortalibus,
quis explicet sermonibus?
hic uermis, anguis, belua, auis,
frigus, calor, fames, sitis,

684. querit *fehlt im cod.*

*) uoluptati *cod.*

aqua, ignis, aer, terra, uis,
tonitrus et horror fulminis,
casus, uenena Thessala,
ars, tela, trux discordia,
truncatio, ardor bellicus,
captiuitas et seruitus,
hic tanta morborum agmina,
horum quot atra nomina
nec archiatri plurimis
proferre quibant in libris.
quid plura? quicquid uiuimus
seu quicquid hic senescimus,
est cura, meror, taedium,
morbus, metus, dolor, malum.
sed inter haec formidinum (De iugi timore mortis)
formido restat omnium,
qua mortis atrae terminum
semper timemus ultimum.
nullus potens se in urbibus
subducet huic sublimibus,
nullus se inops domunculis
furatur huic in infimis.
huic sexus, aetas, dignitas,
doctrina, uirtus, sanitas,
opes, honores, omnia
erunt, id est mortalia.
tot haec modis crudelibus
et mortium tot milibus
minatur, ut nullus sciat,
timere quam magis queat.
cuncti timemus omnia
tam dira mortis agmina,
satis sit unam ut perpeti,
quam tot metus diu pati.
haec sepe sic cita insciis
uenit quibusdam inprouidis,
ut nullus ex nobis sciat,
momento in hoc quin irruat.
haec sola, tu, quid sis, homo

ostendit, quicquid et modo
curas, cupis, percogitas,
caduca cum desideras.
patres, propinquos, filios,
fratres, amicos mortuos
memento teque hic uiuere
noli diu confidere.
sepulcra cerne principum
olim nimis praediuitum
et, quid sit haec, statim probas,
uoluptuosa uanitas.
ubi Ninus, Arbaces, Cirus,
ubi nunc Alexander ferus?
Octauianus, Iulius
clarusque noster Karolus?
ubi omnis hic potentium
superbus ardor omnium?
certe omnis ad puluisculum
perductus est leuissimum.
uermes uorarunt carneam
tunc purpuratam gloriam.
et quae superba tunc fuit,
ceu non fuisset, transiit.
curae, uoluptates, opes
euanuerunt flabiles.
caro putrefacta est iam cinis,
mens mancipata est inferis.
quae quesierunt non habent,
neglecta perpetim tenent.
carent adeptis per mala,
sed ipsa inherent crimina.
iam sero dudum plangitant,
aeterna quod despexerant
et summa quae putauerant,
caduca quod dilexerant.
terrena qui desideras,
hos si uigil consideras,

756. et *fehlt im cod.* 775. uorarant c.

profecto cernis, quod cupis
hic, quid sit et quid ipse sis.
hoc namque quod mors ultima
ipsos et ipsorum omnia
effecit, hoc celerrima
iam iam facit tete ac tua.
hanc ergo pertimescimus,
timendo et hanc praecurrimus
omnes necem, quae gaudia
sic diruit praesentia.
prodest sed o quidnam, rogo,
quod hanc timemus oppido?
hoc non magis se differet,

(Mortem carnis non esse timendam sed animae mortem pertimescendam)

timeamus annon, imminet.
quapropter haud timenda erit,
quod nempe nulli proderit.
sed est studendum, ne reos
nos tollat aut iam mortuos.
est namque multo nequior
mors altera et crudelior.
euadere hanc sed possumus,
si fortiter studebimus.
sed hanc miselli spernimus,
hanc nec uel esse credimus,
quin immo concupiscimus
morique dulce ducimus.
uerumtamen nequissima
et omnium est miserrima,
qua uita uera nos fugit
animamque Christus deserit.
nam ut uita carnis spiritus,
sic spiritus uita est deus,
sed spiritus peccans pium
uitam sui pellit deum.
haec illa mors est pessima,
deum fugant qua crimina,
quae carne post et mortuos

808. proderet *c*. 822. christe *c*.

trudit reos in inferos.
haec quippe post perplurima
et dura uitae huius mala
in Tartarum perennibus
malisque tradit omnibus.
apostata ille sed ferus (De insidiis diaboli)
toruus malignus inuidus
hanc mille fallendi artibus
mortem ingerit mortalibus.
liuore quippe exaestuat,
ne terra carnis prouehat
sese ad superna gaudia,
quae illi abstulit superbia.
idcirco more circuit
leonis ac dirum fremit,
cui mortem amaram hanc inroget
secumque perdendum uoret.
non hora, non punctus meat,
quin excubans hiansque eat,
quem glutiat querens male
culpae peremptum uulnere.
ad haec patranda plurima (De uitiis)
asciscit heu suffragia,
quorum queat iuuamine
nosmet misellos perdere.
sed inter haec saeuissimi
hostes furunt domestici,
qui mentis in nostrae domo
nos enecant truci modo.
regina quorum pessima (De superbia)
bachatur á superbia,
cunctis malis plus noxia
longeque crudelissima.
tantum haec mala omnia anteit,
ipsum tirannum ut fecerit,
ex angelo diabolum,
pulcherrimo teterrimum.

840. proheat c. 852. ascisscit c.

haec dum parentes pristinos,
uellent ut extolli in deos
fallendo dira perpulit,
paradisi amoenis expulit.
haec nos et omnes prouocat,
ut quisque nostrum non queat
pensare, se mortalibus
simillimum fore omnibus.
haec dum caducis fratribus
praeferre nos uult omnibus,
subdit repulso doemoni
similes superbienti ei.
haec quosque suadet spernere
et infimos mox credere,
quos nugulis in his minus
nobis ualere cernimus.
haec dona transeuntia
habere nos ut propria,
extolli in his et altius
docet uelut perennibus.
haec non sinit perpendere
quod dans deus strictissime,
cui plura largus hic dedit,
et plura ab hoc exigit.
haec nos iubet quo praeclues
credamus et praenobiles,
nostri patres uanissima
si plura habebant hic bona.
haec nostra nos primordia
pensare non uult infima,
quod procreauit nos homo
unus creatus ex humo.
haec ipsa nobis terminum
abscondit à citissimum,
quo puluis hic carnis suum
redibit in cinisculum.
haec purpura, auro, pluribus

875. Nęc c. 890. exiget c.

care coemptis uestibus
truncum hunc adornat carneum
iam iam sepulchro debitum.
haec terream potentiam
opes, honores, gloriam
et cuncta, quis extollere
nos quimus, ardet querere.
haec ipsa nos uirtutibus
ipsisque iustis actibus
suadet cor altum tollere
et sancta facta perdere.
haec nos uetat, quod conditor
noster bonorum sit dator,
uidere, quodque absque illius
dono relicti nil sumus.
haec uana sic ignobilem
uirtute censu pauperem
quendam eleuat, quo nesciat,
quare tumens superbiat.
haec nos uidente iudice
dominoque nostro caelite
facit superbis cordibus
praecepta spernere illius.
quid pluribus moror? mala
haec sola gignit omnia,
mentem necant quae perditam
deo perenni mortuam.
sed principales filias
septem êducat nequissimas,
quae singulae duces suum
ductant ferocem exercitum.

(De VII principalibus uitiis et primo de uana gloria)

quarum furit simillima
matri atra coenodoxia,
quae laude nos et gloria
pasci iubet uanissima.
haec gazulis, potu, cibo,
scientia, uerbis, stilo,

924. calite *c*. 933. dulces *c*. 934. ferorem *c*.

gestu, loquela, uestibus
seruit caducis laudibus.
haec ipsa uitat pessima
agitque item pro gloria.
quicquid gerit, popelluli
in ore ponit garrüli.
haec ipsa facta nos bona
pro laude uentosissima
uulgi perurguet uendere
fructum et perennem perdere.
haec non sinit perpendere,
quam friuolum, quam mobile,
quam percitum, quam sit uagum
rumoris huius premium.
sed hanc in cordis abdita (De inuidia)
mens insequetur inuida,
quae nos amara et fellea
intro inficit uesania.
haec doemonis more á malis
in proximi miserrimis
accrescit, eius et bonis
decrescit atque prosperis.
haec sepe nulli praeualens
nocere, se rodit dolens,
poenas luens duplas modo
et in futuro saeculo.
haec corpus et cor atterens
uirtutum amoena conterens
perpellit ad nefaria
persepe captos plurima.
hoc pessimum ac dirum nefas
dum mentis occupat casas,
regina uirtutum fugit
et caritas nos deserit.
quae si recesserit, tremit
mox omnis et uirtus fugit

948. uentissima *c.* 956. inuidia *c.* 972. causas *c.* casas *verb. Wattenbach: vergl. v.* 1302.

aut molliter pigre et nimis
monstris resistit intimis.
mox ira perfurens uenit (De ira)
et mentis ima concutit,
conturbat atque concrepans
obcaecat et cor estuans.
haec nos furore tam fero
inflammat, eheu, sedulo,
ceu nescientes ut mala
ardendo agamus crimina.
haec ipsa turbat iudices
in iudicando praepetes,
ne lex eos uel mos regat,
furor sed in praeceps trahat.
hanc clamor, indignatio,
lis, iurgium, contentio,
odium, ultiones, prelia,
nefanda parricidia,
hanc tanta dirarum agmina
secuntur infestissima,
expellat ut prorsus sacram
bachando sufferentiam.
post hanc frequenter irruet (De tristicia)
mens tristis atque proteret
solamen et piissimum
uitae perennis gaudium.
haec pro caducis nugulis
deo uolente perditis
uel morte mortalis pium
peccare cogit in deum.
hanc cura, meror, taedia,
luctus, metus, uesania
et ipsa desperatio
comitantur infando modo.
haec omne praesentis bonum
pessumdat aeui et gaudium
et ad futuri tristia
post pertrahet perennia.
sed inter has duces suam (De auaricia)

matrem dein superbiam
aequans furit nequissima
fremitque philargiria.
haec quanta captos ad mala
perpellat atque pessima,
quantoque sternat uulnere,
quis praeualet retexere?
haec nos anhelanter lucra
cunctis modis terrestria
cogit sitire et querere
ac summa prorsus spernere.
haec pro lucello labili
omnis metus periculi
terra, mare, igne et aere
ceu nil facit contemnere.
haec uerba, probra, uulnera,
poenas, calores, frigora,
curas, labores, omnia
peruersa spernit et bona.
hanc fraus, dolus, periuria,
furtum, rapinae, incendia,
homicidia atque crimina
passim secuntur omnia.
haec deuorasset quamlibet
opum omne, quod mundus tenet,
adhuc egens et anxia
esset sibi paupercula,
haec pro deo nummum colit,
quem corde toto diligit,
quem queritat laboribus
cunctisque semper uiribus.
haec abnuit nos cernere,
quam sit caducum et labile
sub sole quicquid infimum
amamus ipsum et saeculum.
haec cordis obstat auribus,

1016. dein] *lücke, welche eine ganz späte hand durch* suam *ergänzt.* dein *verm. Wattenbach.*

Christi sacris ne uocibus
obtemperent, qui terream
iubet relinqui sarcinam,
qui uult suos hinc currere,
non hic amando insistere,
uictu esse contentos mero
et indumenti operculo
et quicquid his superfluum
redundet, hoc egentium
usus receptet, maxima
ut ipse donet premia.
sed pestis haec clamantium
contemnit ora pauperum,
suadetque te recondere
quicquid queas acquirere;
non, quot modis haec perdere
soles, sinit perpendere,
mortem nec ipsam iam prope,
quae cuncta cogit linquere.
non uult ut haec in premio
gaudens resumas caelico,
sed hic relinquas iam cito
tradendus ipse Tartaro.
haec dira tunc iustissima
sibi uidetur ac pia,
aliena si non auferat
sua secum atque congerat,
non cogitans, Christo reus
quod sit rapinae, qui ferus
donanda lucra pauperi
tenenda congregat sibi.
nam plura cui deus dedit,
soli tenenda haud tradidit,
sed indigenti ut omnia
donet sibi superflua.
sed Eumenis haec pessima
sibi retentans omnia

1053. opericulo c. 1066. queas *fehlt im cod.*

mox morte cunctis perditis
gemit perenne in inferis.
has pertruces intrinsecus
formidat hostes spiritus,
restant duo communia
et mentis et carnis mala.
quorum prior saeuit fera (De gula)
gulosa gastrimargia,
quae prima nos seruos necis
fecit cibum per arboris.
haec imperat, quo maximus
summusque uenter sit deus,
placetur hic et pro deo
potu ciboque sedulo.
non haec hians considerat,
natura quid parce petat,
sed quod balatro postulat,
luxus catillans queritat.
doctos requirit haec cocos,
potus, cibos lautissimos
modisque multis cogitat,
alui speccum qui farciat.
non ista gazis, praediis,
laboribus, periculis
parcit, uoracem quin cibis
uentrem impleat superfluis.
procurat ergo, ditia
ut uermibus conuiuia
carnis sagina in putrida
defuncta demus uictima.
haec sepe tantis potibus
ingurgitat se funditus,
ut perpetret perplurima
insaniens nefaria,
sensum sed obtundit scium
sanctumque pellit spiritum,
qui casta, pura, sobria

1096. castrimargia c.

amat sacer praecordia.
princeps cocorum fortia
destruit urbis moenia,
uenter uorax munimina
euertit à mentis bona.
nam cum capit mentem gula,
secuntur et mox ludicra
inepta, uerba turpia
et uana mundi gaudia,
obliuio aeterni dei,
uitae, necis, Stigis, sui,
infirmitas, molestia
menti atque carni plurima.
sed et furens uenifica (De luxuria siue libidine)
carnis uoluptas putida
hac excitante nascitur,
hac nutriente pascitur.
haec septima extat filia
superbiae spurcissima,
haec et libido noscitur
eademque luxus dicitur.
haec quanta captos ad mala
perpellat immundissima,
nulli fit explicabile,
sed omnibus plorabile.
haec namque corpus labile,
mortale, computribile
suadet foueri molliter
et inquinari eneruiter.
blanditur haec obtutibus
multis modis et auribus,
nares et os coinquinat
tactumque totum sordidat.
haec maxime omnes dulcibus
nos illicit praesentibus
et post amaris omnibus
intrudit infernalibus.
haec laeta, pulcra, prospera
adoptat hic breuissima,

aduersa, foeda, tristia
post inferens longissima.
haec ista dum labentia
amat breuis mundi bona,
bonis carens perennibus,
tradit malis nos omnibus.
non peruidere nos sinit,
quam noxium malumque sit
pro pseudodulci guttula
potare amara intermina,
pro gaudio falso et breui
perenné triste mox pati
risuque pro momentuli
dari per aeuum luctui;
contraque quam perobtimum
sit quamque prudentissimum,
lugere nunc in athomo,
laetari et omni in saeculo,
nunc triste ferre percitum,
mox et perenne gaudium,
gustare amaram stillulam,
potare uitam melleam,
si et iure amarum tristeue
luctumque quimus dicere,
bonis quod hic laetissimum
uidetur ac suauissimum.
nam uita casta et sobria
piis erit facillima
onusque regis et iugum
saluantis est leuissimum.
itemque mundi nugulae,
ut sunt, uidentur anxiae
eiusque uana gaudia
amara, dira, tristia.
sed haec uoluptas foetida
et omnium stultissima
amara ducit dulcia

1181. athamo *c*.

ac praua mentitur bona,
secura credit anxia
et laeta fingit tristia,
uitam probam miserrimam
foedamque felicissimam
et eligit falsissima
et gaudia hic breuissima,
incurrat ut uerissima
ac sempiterna tristia,
perdens amoena dulcia
aeterna uera gaudia,
quae promerentur tristibus
istis, licet non tristibus.
delusa sicque perditos
deludit à misellulos
caecosque pseudodulcia
ad multa ductat crimina.
somno iugi nos stertere
uagaque mente ludere
facit, pigros et ad bonum,
sed esse alacres ad malum,
deum perenne et premium
sperni uelut fantasticum
et ista transeuntia
coli uelut manentia.
iam uero quam spurcissime
nos polluat libidine,
magis dolendum est lugubre
quam concinendum crimine.
multos enim tam nequiter
pessumdat atque turpiter,
mulis, asellis atque equis
exequet hos ut infimis.
non lege naturae tenet
se, non pudore continet
homines, deum, malum, bonum
ipsumque temnit Tartarum.
qui castitati debito (De coniugiis religiosorum)
stant celibes celso in loco

incontinentes efficit
casuque foedo deicit.
summum deum nequissime
sponsum facit contemnere
et turpiter cum terreo
suadet coire homunculo.
non cogitare pró sinit,
quam pessimum foedumque sit
tanto tonanti deditam
mecho subesse adulteram.
ipsos sacerdotes dei
monachosque lapsu flebili
propulsat alto à culmine
truci peremptos aulnere,
non peruidentes, quale sit,
ut summa qui susceperit,
uita graduue corruat
et ima deiectus petat;
quam sit scelestum corpore
spurco et manu popismate
ad templum et aram accedere
Christique corpus tangere.
sed haec uoluptas perditos
peiora adhuc in clericos
audet, coequans laicis
hos in malo spurcissimis.
quid multa? passim plurima
trahit necatque milia
furens in omni pessime
sexu, gradu uel ordine.
inops coactus publicam (De iniquis coniugiis laicorum)
uxorem habet fors unicam
et uel timore nuptiis
parumper utetur piis.
at diues unam uel duas
aut concubinas plurimas
constuprat haud explebili

1275. unam unam c.

deseruiens libidini,
et his stupris incumbere
non pertimescit publice,
eius uelut iustissimus
superbiae parcat deus.
cedant honori flexiles
eclesiae nunc principes:
tu, Christe, damnas diuitem
ut fornicantem pauperem.
procul profanat putidos
lex sancta fornicarios,
quae coniugem expelli uetat,
ni mecha sese polluat.
sed hic tumens superbia
post concubinarum agmina
tandem putat, legaliter
quod ducat uxorem miser.
at fornicator improbus
est est gehennae debitus,
ni certet hic se acerrima
punire poenitentia.
quid á, pudor longissime
iam pulse, possum dicere?
libido pró furens tuas-
omnes tenet iam iam casas.
nil lex, pudor, timor ualet,
libido totum possidet.
iam pauca Christus ipse habet,
libido totum possidet.
non coniugi coniunx sua
prolis creandae gratia
placet, sed ut putribili
fiat satis libidini.
nec sola ei iam sufficit,
quamquam satis superque sit,
sed concupit iuuenculas
nouasue turpis feminas.
nec hoc sat est, in liberas

si hinniat mulierculas:
aliena coniunx sternitur
propinqua et ipsa perditur.
sed est parum si terrei
corrumpitur thorus uiri,
temerantur ipsae nobiles
regis superni uirgines.
uix quodque quis uel seruulo
audet caloni rustico
inferre, Christo non timet,
sponsas cum eius permolet.
natura nec iam continet
sexusue multos, heu pudet,
nil iam pudendum spurcidis,
peccatur infandis modis.
iam pro dolor! gentilium
enormitate criminum
uitam et scelestis actibus
aequamus aut deuincimus.
acri poetae plurima
stilo notant nefaria,
quae sola natura oderat
carpenda quaeque ostenderat.
sed christiani nomine
qui dicimur falsissime,
loti sacro baptismate,
sed reinquinati crimine,
praecepta qui scimus dei,
qui sponsione debiti
nostra tenemur, qui bona
discernimus uere et mala,
qui et igne terremur Stigis,
caeli et uocamur premiis,
qui signa plura uidimus,
exempla qui conspeximus,
nos, inquam, amanda funditus
mandata Christi spernimus.

(Quanta inter christianos crimina regnent)

1316. Sed *c*. 1324. caloni *Haupt*. calori *c*.

nos pessimis et inscios
factis praeimus etnicos.
natura sola illos magis
probris retraxit spurcidis,
plerosque quam nostrum omnia
quae nouimus dei bona,
nos ut queamus sordide
uitam suis hic ducere.
poenas perennes spernimus,
aeterna regna temnimus,
tantum gehennae filius
nos laudet hic homunculus,
nostri in malo simillimus,
sed ad bonum stultissimus.
si laudet an non nos deus
cuncti et superni spiritus
omnisque sanctorum chorus,
ceu nulla paruipendimus.
nam pro baburra gloria
cum sepe patramus mala,
laudat malos bachantium
perparua pars mortalium.
sed ipse despicit deus
omnisque caeli exercitus,
persuasor ipse pessimus
malique spernunt spiritus.
at nosmet hic fumaticam
ipsamque stultam gloriam
praeponimus summo deo
et sempiterno gaudio.
tantum uoluptas polluat
et uanitas haec prouehat,
post athomum hanc contemnimus,
quid dicat aut reddat deus.
patramus audacter mala,
quae Christus odit crimina,
modis nefastis spernimus,

1371. babursa c.

hunc fors nec esse credimus.
tales facit superbia
nos perditos nequissima
eiusque septem pessimae,
quas diximus iam, filiae.

(Quanta potestate uitiis pollutos diabolus possideat et ad quaelibet nefaria ducat)

hae namque nos cum ceperint
sibique subiugauerint,
cunctis malorum milibus
nos sordidant intrinsecus
et mox suo nos principi
tradunt maligno doemoni,
in corde nostro congruam
dantes ei domunculam.
qui latro cum possederit
mentem malisque inpleuerit,
mox quaeque uirtus profugit
occisa uel prorsus cadit.
mox ipse uirtutum deus,
qui uera uita est spiritus,
immunda corda deserit
mori uolentes et sinit.
illic quid ille fecerit,
quo tale stercus foetuit,
quo doemoni parebitur
et ipse prorsus spernitur?
non ergo rex castissimus
sanctusue praesto est spiritus
in mente, quam luxus habet
monstrum uel unum horum tenet,
quanto minus quo talia
et tanta regnant crimina,
nunc quanta perditi ambitus
uastare mundi cernimus?
sed uita quoniam hic adest,
profecto dira mors inest,
et mortis autor pessimus
eiusque trux exercitus.

1393. Eius *c*.

hic uero quantum sordidet
possessa corda, quae tenet,
diuersa quamque distrahat,
scire aut referre quis queat?
haec namque persepe ad mala
ductat trahens contraria,
uesana quo mens nesciat,
quod crimen eligens agat.
ferox enim Satan eques
chamo capistratam insidens,
quae uult furens ipse omnia
uertit sequentem ad sordida.
sic de malis ad pessima,
de spurcidis ad spurcida
deflectit á, dum Tartarum
dimergat hanc in igneum,
nec sepe curat aut timet,
sed perparum recalcitret,
mox hanc sciens sequi ut prius
punctam sui calcaribus.
quin ipse fictis sepius
tolli hanc sinit uirtutibus,
ut subleuata celsius
praeceps ruat mox turpius.
firmis enim suetae necis
eam retentat uinculis
et quaeque uult ad noxia
perpellit illam crimina,
depellit at uera omnia
ex corde uirtutum bona
uel polluit teterrimis
infecta noxarum malis.
sanam nec ipsam principem
perstare permittit fidem,
mentem, Satan, qui flebilem
constuprat usque ad uerticem.
uertex bonorum nam fides
est, quam nefandas post lues
stuprator ille pessimus

incestat atris actibus.
nam Iacobus doemonicam
fidem hanc uocat uel mortuam,
quae uocibus deum approbat,
factis negans sed improbat.
sic ergo sic nequissimus
nos perditis uirtutibus
uitiis nefastis heu replet
securus ac iam possidet.

(De gaudio praesenti malorum)

et, quod dolendum plus erit,
cum sic reos necauerit,
in pessima stultissimum
hac morte suadet gaudium.
hic namque plures perditi
misereque Christo mortui
sentire nolunt perditos
sese uel esse mortuos,
gaudent lucris inanibus,
uanis tument honoribus,
laetantur in factis malis,
in rebus atque pessimis.
non cogitant perennia
seu laeta siue tristia
probis, sed haec fugatia
curant amantque friuola.
haec sola totis nisibus
totisque querunt uiribus,
uelut sciant per saecula
perstare huius mundi bona.
quaecumque poscit seu iubet
tyrannus, hos qui possidet,
ducunt nimis suauissima
et mente agunt laetissima,
et omnium est quod pessimum
patrasse se gaudent malum
iactantque securissime,
quod debuerunt plangere.

1467. *Iac.* 2, 20, 26. 1476. negauerit *c.* 1483. Gudent *c.*

(Quomodo mors adueniens praesentia gaudia et bona euacuet)

sic atque perditissime
mentis necem nichil fore
ducunt, mori miserrime
laetum putantes uiuere.
sed hoc nefandum gaudium
pertransit ó quam percitum,
cum, carnis ó mors aspera,
euertis haec praesentia.
tu sola quae sit intima
mors mentis ostendis fera,
cum decidet uanissima,
ueniente te, superbia.
tunc obsident miserrimum
in mortis hora spiritum
artantque diri doemones
tetri, minaces ac truces.
et qui prius seduxerant,
qui gaudia haec suggesserant,
qui, ne timeret tristia,
persuaserant, intermina,
tunc hunc perurgent undique,
quae mente, facto uoceue
peccauit hic spreto deo
ore explicantes horrido.
tunc proferunt Christi omnia
praecepta sacratissima,
quae spreuit hic tumens prius,
ipsis ad hoc suadentibus.
quid tunc agat miserrimus,
quo uertat aut se perditus,
qui se trahi cum senserit,
nullum adiuuantem conspicit.
cum se relictum ab angelis
conspexerit dei piis
et traditum minantibus,
nigris, cruentis hostibus,
qui tunc student cunctis modis,

1508. Pertansit c.

qui terreant reum suis
strictum catenis, ut sciat
quibus prius seruiuerat.
ó quam perit tunc nubilum
praedulce pridem gaudium,
quam nil erit rei ardua
tunc mundialis machina.
quod anxius curauerat,
quesiuerat, parauerat,
totum quod egit, ut citum
uanumque nil est somnium.
tunc sentiet demum miser,
fecit prius quam nequiter,
mandata spernendo dei,
nugas amando saeculi.

(Cum quanto terrore impius a doemonibus ad Tartara trahatur)

quid pluribus? plenus malis,
egenus heu sed in bonis,
damnatus infernalibus
tradetur atris hostibus.
a quis statim immitissime
excussus hoc ex corpore
trahetur á crudeliter
torquendus aeternaliter.
mox doemonum exercitibus
truculenter insultantibus
in os gehennae funditus
mergetur á pessumdatus.
tunc sero plangit ac gemit,
quod hic deo non credidit,
iussis se ut eius subderet
et uana mundi sperneret.
tunc fructuosum non erit,
quod poenitendo luxerit,
qui tempus acceptabile
luxu eligebat perdere.
iam tunc necesse est sentiat,
quam perperam praueque agat,

1541. Stictum *c.* 1557. Damnaturus *c.*

qui pro caduco gaudio
resistit aeterno deo.
tunc namque mens hic perdita
deoque dudum mortua,
peccare quae hic semper cupit,
punita perpetim gemit.
et dulce quae ducit deo
mori implicata saeculo,
in morte mortem concupit
moriensque numquam deficit.
tunc quanta quisque pro suis (De tormentis reorum)
meritis luat miser malis
tormenta, nullus qui fuit
umquam satis retexuit.
nam quicquid atrum aut horridum,
dirum, timendum aut anxium,
malum, dolendum quis potest
excogitare, illic adest.
at omne pulchrum uel bonum
omnisque spes et gaudium
ex hoc malorum carcere
cunctorum abest longissime.
et quod timendum est maxime,
cum puniatur pessime
poenis subactus omnibus,
nullus mali extat terminus.
et cum bonos in gloria
congratulantes maxima
cernat, peruri in ignibus
se sentit infernalibus
et colligatus nexibus
culpae suis equalibus
comburitur manipulus
in saeculum miserrimus.
sic usque in extremi diem
examinis plorabilem
in morte prima mortuus
reus crematur spiritus.
post uero districtissimus (De ultimo iuditio)

cum uenerit iudex deus,
cum quisque, quae iam putruit,
carnem sui receperit,
qui nunc silet mitissimus
parcitque contemptoribus,
omnes profanat rex suos
damnatque tunc contrarios.
tunc caelicis trementibus
et telleis ardentibus
damnandus ó quam contremit
quisquis reum se nouerit,
accusat hunc cum propria
artatque conscientia,
iudexque talis iudicat,
archana cordis qui probat.
quem iudicantem euadere
nemo ualet uel flectere,
remuneret quin tunc pios
iusteque damnet impios,
ut qui deum contemnere
praecepta et eius nunc male
captant, procul tunc a deo
eliminentur optimo.
parere quique doemoni
et illecebris saeculi
malunt, truci cum doemone
damnantur aeternum in Stige.
culpisque qui succumbere
anima student et corpore
uitiisque gaudendo incubant,
flentes in utroque ardeant.
haec illa perditissimi (De secunda morte id est ultima
secunda mors est mortui, condempnatione)
quam prima mors nunc parturit,
animam deus cum deserit.
haec scilicet, cum denuo
de puluere exsurgens homo
in morte mortem haud inuenit
et perditus numquam perit

cum angelis apostatis
sociatus ipse in inferis,
coquetur in cunctis malis
in saeculorum saeculis.
cum cuncta quae solus prius
tormenta perfert spiritus,
adaucta totus post homo
patietur absque termino.
cum qui dei oblitus fuit,
peccare cum non destitit,
obliuione perpeti
pessumdatus perit dei.

SORORES AD MVSAM[t]

Cara soror, soror, ó quam maxime concinis tremenda,
horrida, flenda, modis cunctisque perenniter timenda!
quaesumus attonitae, quid dicere quidue cogitare
possumus aut facere? ó quid diligitur uel ó quid ista
queritur aut colitur praesens breuis et caduca uita,
tot miseranda modis, meroribus, anxiis periclis,
undique plena malis, languoribus, omnibus dirisque,
quae tot habet uarios mortis uariae metus modosque,
quaeque truces patitur tot iugiter hostium timores,
doemone cum uitiis tam multiplices parante tecnas
insidiasque, quibus nobis animae queat profanam
et studio fugiendam omni malūs irrogare mortem,
pellere qua queat ex nobis dominum, ingredi et cor ipse
ac sociare sibi possit simul et coinquinatos
perditūs ipse homines nos perdere perditosque secum
in Stige perpetuis per saecula concremare poenis
iudicioque reos examinis ultimi uorandos
faucibus igniuomis contradere mortis á secundae,
spiritus ut moriens numquam moriatur in resumpto
corpore, cum Satanae asseclis datus infimis gehennae?
dic, age, cara soror, uita quid in hac periculosa
atque breui miseris mortalibus et nimis caducis
consiliere agitandum, qualiter autumes manendum,

[t] Metrum archiloicum constans tetrametro bucolico et tribus trocheis.
1673. diris c.

ne misera haec breuitas uitae mala anta tamque amara
et sine fine per aeuum instantia gignat inuehatque
per male dulcia mundi huius bona procreata perque
decipientis opus hostis uarias et eius artes.
dic, age, dic, petimus, quid conditor ille iustus atque
optimus ille pater, saluare uolens benignus omnes,
perdere non cupiens ullum, nisi perdat ipse sese,
nos uelit et iubeat gratum sibi factitare, Christus,
qualiter atque uiam percurrere suadeat breuem tam,
uiuere quoque modo seruos doceat suos in ista,
iam male ne pereant in saecula, sed quod ipsa sepe
commemoras mala, dum cantas, fugienda, pertimenda,
ut sine fine frui feliciter obtimo, perenni
promereantur ouantes sedulo gaudio bonoque
cum domino hilares caelestia regna possidentes.
haec cane nunc, petimus, nos attonitasque ualde amaris
dulcibus, ó cata, consolere, camena, cantilenis.

MVSA AD SORORES[u]

Haec ipsa, mis sororculae, uolebam
pro posse coepti carminis tenore
uobis libenti consonare nisu.
haec ipsa iussit consequenter ipse
cantare uestri dirigens me amicus,
ut allicere ego rithmicis studerem
odis perennem uosmet ad salutem.
sed uos quod interfarier canenti
eadem petendo maluistis, ó quam
gratum michi fecistis: ipsa namque
defessa eisdem de metris anhelo
iam iambicis. nunc recreabo flatum
spirando paulum postque muto rithmum
et quod petistis anxie, studebo
pro uiribus, pio iuuante Christo,
cantare uestri prompta caritati.

FINIT PRIOR LIBELLVS.

[u] **Metrum iambicum trimetrum catalecticum hyponactium constans v pedibus et syllaba; paribus locis iambum, inparibus iambum uel spondeum recipit.**

1699. seruos *ergänzt Wattenbach.* 1712. ego *ergänzt Wattenbach.*

Berthold von Reichenau erwähnt bei aufzählung der schriften seines verewigten lehrers und freundes, Hermanns (des lahmen), dafs derselbe libellum ad haec de octo vitiis principalibus iocundulum metrica diversitate lyricum poetice satis elaboravit (*Mon. Germ. Scr.* V, 268). *dieses bisher ungedruckte gedicht fand* 1717 *Bernhard Pez* (*Thesaur. anecd.* I, 1 *s.* XXXVIII) *in einer handschrift des stiftes S. Emmeram wieder auf; auf welche später Docen, geleitet durch Coloman Sanftls treflichen catalog, nochmals aufmerksam machte* (*Archiv für ält. deutsche Geschichtskunde* III, 8).

Das gedicht steht in dem codex Latin. Monac. 14689 (*früher St. Emmerammi G.* LXXIII) *aus dem anfange des* 12*n jahrh.*, *den ich durch die güte des hn directors Halm an meinem wohnorte benutzen durfte. der codex enthält zuerst* (*f.* 1—24) *metrische und arithmetische schriften von Beda, Marius Servius Honoratus, Priscianus, Mallius Theodorus, Adelbold von Utrecht, dann folgt f.* 25 —37 *in kleiner zierlicher schrift, je* 38 *zeilen auf der seite, Hermanns dichtung, unmittelbar danach* 15 *verse über die sternbilder, f.* 38—48 *lateinische vocabeln mit ahd. glossen, theils aus der bibel und andern kirchlichen schriften, theils nach einzelnen kategorien, von Graff ausgebeutet. den rest der von verschiedenen nicht ganz gleichzeitigen händen geschriebenen handschrift f.* 49—127 *füllen astronomische lehrbücher, von Gerbert, Hermann selbst* (*dessen werke* de utilitatibus astrolabii *hier f.* 71 *die noch ungedruckte einleitung, ein begeistertes lob der astronomie, vorangeht*), *Wilhelm von Hirschau* († 1091), *Heriger von Lobbes und Gerland, darunter einiges noch nicht gedruckte. aus der fremdartigen gesellschaft, in der wir dem lehrgedichte Hermanns begegnen, möchte man fast schliefsen, dafs es weniger seines inhaltes, als vielmehr nur seiner form halber aufnahme gefunden, um nämlich durch seine metrica diversitas beispiele und muster zu den vorangeschickten anweisungen über die metrik zu bieten. für diese auffafsung spricht besonders die bei dem eintritte jedes neuen metrums der überschrift hinzugefügte regel desselben, die doch schwerlich auf den verfafser selbst zurückgeht.*

Die abfafsungszeit unseres gedichtes wird einerseits durch den im sommer 1044, *vielleicht am* 15.*aug.* (*s. das Weifsenburger todtenbuch*) *erfolgten tod des ungrischen königs Ovo* (*v.* 626), *andrerseits durch Hermanns hinscheiden im j.* 1054 *bestimmt. noch genauer wird man aber sagen können dafs es in die jahre* 1044—1046 *fallen mufs, weil im herbste des letzteren der könig Peter zum zwei-*

tenmale entthront wurde, den offenbar der dichter sich als regierend denkt. die äbtissin Engila (*v.* 59), *die einen weiteren fingerzeig geben könnte, vermag ich leider nicht nachzuweisen. aus dem schlufse unseres gedichtes ergiebt sich dafs auf dasselbe, welches als erster theil* de vitiis *handelte, ein zweiter* de virtutibus *folgen sollte. in der that findet sich in dem codex Udalrici Babenberg.* (*Eccard corpus histor.* II, 6) *unter der überschrift* Hermannus Contractus in libro de virtutibus *das distichon*

Si non sufficiant tibi res, tu suffice rebus:
sufficiens fueris nil cupiendo magis,

und man könnte vermuten dafs der schreiber des Regensburger codex jenen zweiten theil nur deshalb fortgelafsen habe, weil er etwa im elegischen versmafse gedichtet ihm kein sonderliches metrisches interesse erregte. gleichwol bleibt der mangel anderweitiger zeugnisse und zumal das schweigen Bertholds, der blofs auf den ersten theil hindeutet, auffallend: vielleicht ist also Hermanns verherlichung der tugenden unvollendet geblieben.

Der werth von Hermanns lehrgedichte über die laster wird dadurch erhöht dafs es in einen für die deutsche dichtung äufserst unergiebigen zeitraum fällt, in welchem wir somit der lateinischen kunstpoesie bedürfen, um 'unsere vorstellung von dem dichterischen vermögen des jahrhunderts zu ergänzen.' Hermann bewegt sich nicht ohne gewandtheit in manigfachen antiken mafsen, die er nach mittelalterlicher weise fast sämtlich reimen läfst: einzelne freiheiten, wie bisweilen vernachläfsigung der elision, sind ihm hierbei nachzusehen. die sprache trägt stark den stempel der zeit: neben manchen alterthümlichen formen sind mittellateinische worte und wendungen sehr zahlreich, ja es haben sich sogar ein paar deutsche brocken eingemengt (*v.* 41, 1110). *die besondere vorliebe für kosende verkleinerungsformen wie* amorculus, momentulum *u. s. f. erklärt sich zum theil wohl durch das bedürfnis des reimes. jedesfalls macht sich bei Hermann ähnlich wie bei seinem zeitgenöfsen Wipo in dem fremden gewande doch ein deutscher geist geltend, der dem ganzen eine innere wärme giebt. wenn die erbaulichen betrachtungen des dichters sich leider auch grofsentheils in farblosen allgemeinheiten bewegen, die auf jedes zeitalter passen, so stofsen wir immerhin daneben auf einzelne individuellere züge, die für die sittengeschichte seiner zeit zu verwerthen sind. dahin gehört namentlich die wiederholte, für unser gefühl keuschen klosterfrauen gegenüber an-*

stöſsige hervorhebung der fleischlichen sünden. allerdings geiselt auch Thietmar von Merseburg die sittenlosigkeit der frauen seiner zeit (*s. Giesebrecht deutsche kaiserzeit* II, 12), *entführungen aus klöstern waren nicht ungewöhnlich und Hermann selbst spricht in seiner chronik* (*a.* 1021. 1051) *von dem verfalle der schwäbischen jungfrauenstifte Buchau und Lindau. sehr nahe lag das traurige beispiel der äbtissin Hirmingard von Zürich, die wegen ihres ausschweifenden wandels abgesetzt, eben damals durch aufrichtige buſse die fürsprache des abtes Berno von Reichenau sich erwarb* (*s. seinen brief an Heinrich III im archiv österreich. geschichtsquell.* XX, 202). *unser gedicht gewährt endlich — und deshalb besonders verdiente es bekannt gemacht zu werden — einen schönen beitrag für die kenntnis der persönlichkeit Hermanns, des angesehensten gelehrten seiner zeit. durchaus bestätigt es was Berthold, der dankbare schüler, über die anmutende liebenswürdigkeit des verehrten mannes* wie über seinen hohen sittlichen ernst sagt und läſst uns einen tiefen blick in seine der welt zwar abgestorbene, doch mit der welt keineswegs unbekannte seele thun.*

Beiläufig sei noch bemerkt, worauf Wattenbach (*Deutschlands geschichtsq.* 2 *ausg. s.* 295) *früher schon hingewiesen hat, daſs der auch in dieser zeitschrift* (XI, 237) *Hermann dem lahmen beigelegte Conflictus ovis et lini wohl sicher einem andern verfaſser angehört als unser moralisches lehrgedicht, wofür insonderheit auch Bertholds schweigen von belang ist. unter dem titel* Altercatio ouis et lini *steht jenes gedicht gleichfalls vollständig in dem codex Lat. Monac.* 384 *aus dem* 12*n jahrh. f.* 37—46, *der in seinem haupttheile Ovids vier bücher ex Ponto enthält, aber auch hier ohne angabe eines verfaſsers.*

Halle im october 1866. ERNST DÜMMLER.

CHRONOLOGIE DER SPRÜCHE REIMARS VON ZWETER.

Im begriff die zeitliche bestimmung einiger sprüche Reimars von Zweter niederzuschreiben, erhielt ich Karl Meyers untersuchungen über das leben Reimars von Zweter und bruder Wernhers (Basel 1866). da ich mit den in dieser schrift gewonnenen resultaten in den allermeisten fällen nicht übereinstimme,

*) *in dem St. Galler todtenbuche* (*cod. S. Galli* 915 *s.* 338) *findet sich unter* VIII kal. Oct. (Obitus) Heremanni claudi uiri doctissimi et benignissimi.